



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. III. Meditationes suas à mysterijs Humanitatis Christi cœpit: singulari
ad eam deuotione semper affectus: & fructus inde perceptum

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

CAPVT III.

*MEDITATIONES SVAS A
mysterijs Humanitatis Christi cœpit: sin-
gulari ad eam deuotione semper af-
fectus: & fructus inde
perceptus.*



VI DEO seruire incipiunt,
& cum diuina eius maiestate
in oratione agere, post exitum
ex miserando, in quo fuerant,
peccati statu, & post exercita-
tionem in eundem finem, in
meditationibus de peccatorum
grauitate, Mortis, Iudicij, & Inferni terribilita-
te, aliorumque suppliciorum, quæ diuina Iusti-
tia contra ea est minata: transire solent ad medi-
tanda mysteria sacratissimæ Humanitatis Christi
Seruatoris nostri, veri Dei & hominis, qui est ve-
ra a via, veritas, & vita; principium, finis, & me-
dium perfectionis ac saluationis nostræ: ita enim
ipse dixit: ^b ego sum ostium, per me, si quis introie-
rit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, &
pascua inueniet. Per ostium hoc ingredi oportet
& Iustos & Peccatores; Incipientes, Proficientes,
& Perfectos: qui omnes pascua inueniunt ani-
mabus suis, iuxta necessitatem & capacitatem
suam accommodata; & ad finem, ac scopum, ad
quem, cum meditantur eius mysteria, tendunt.
Peccatores enim considerantes, quàm multa ipse
fecerit, ac pertulerit pro ipsorum peccatis: inue-
niunt

^a Ioan 14. 6.

^b Ioan 10. 9.

niunt pascua Contritionis, Pœnitentiæ & Lachrymarum: vt ab eis mudentur: Incipientes inueniunt pascua virtutum, quæ passiones ac vitia mortificant; & efficiunt, vt Caro Spiritui subijciatur; & sensualitas rationi: Proficientes pascua inueniunt veritatum, & virtutum altiorum, quæ illos illustrant, & crescere faciunt, tanquam *Lucem matutinam vsque ad perfectam diem.* c Prou. 4. 18. Perfecti autem sublimiora inueniunt pascua, ingredienti scilicet per hoc sacratissimæ humanitatis ostium ad altissima diuinitatis mysteria contemplanda: & egredientes ad præstanda erga proximos opera & ministeria inflammatae charitatis. Per hoc ostium ingressus noster Pater Balthassar, à principio non destitit, sed per totam vitam prædicto modo ingressus & egressus est. ingressus, inquam, primùm in occulta cordis DNI humanitate induti, & sensim ascendens & immergens se in mysteria DNI trini & vnius: & inde exiens primùm ad se ipsum mortificandum, varijsque virtutum exercitijs perficiendum, & exornandum: & postea ad subueniendum magno feruore suis proximis.

§. I.

P R I M V M itaque omnium Christum Dominum nostrum tanquam præcipuum suum Magistrum accepit, iuxta ipsius Domini verbum dicentis: *Magister vester vnus est C H R I S T V S.* Qui, quæ homo, officium hoc visibiliter egit, docens omnes factis & verbis Euangelicam perfectionem, arcana diuinitatis & Trini-

a Matt. 23. 10.

Trinitatis mysteria, quæ prius erant abscondita; quæ verò est Deus, idem præstat quotidie inuisibiliter, docens animas huiusmodi veritates, præbensque lucem ad eas intelligendas; & affectum ad virtutes desiderandas & procurandas; & utroque modo illum accipiebat in oratione, tanquam magistrum: nunc tanquam hominem, formans in sua imaginatione figuram huius Domini: quæ postea multò perfectius est illi communicata; nunc eundem aspiciendo tanquam Deum, ad cor seruorum suorum in solitudine interna loquentem. Eratque stupenda eius compositio, reuerentia, deuotio, ac teneritas; quam in hoc seruabat. Constituebat enim se in oratione ad pedes Christi Domini nostri, tanquam discipulum talis Magistri, dicens ei: Domine mi, vterque nostrum suum habet Officium ab æterno Patre iniunctum, cum dixit: *b Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Officium tuum est Magistri; meum, discipuli. si itaque cedit in tuam gloriam, exerceamus nunc illa. Quoniam verò Magistri est loqui; discipuli autem tacere: ego silentium seruabo: *c loquere tu Domine, quia audit seruus tuus:* & ut magis sim attentus; claudam oculos meos, & quoniam non solum tu es Magister, sed etiam Dominus; audiam te genibus flexis. Et quia non tantum es homo, sed etiam Deus, coniunctas manus in altum leuabo, tum ut audiam te, tum ut simul te adorem; hinc doctrinam tuam accipiendo, inde venerationem ostendendo, qua illam suspicio, in Religioso hoc situ immobilis manens, etiam si plurima eueniant, quæ me interturbare conentur: ne vel vnicum doctrinæ adeò salutaris verbum mihi pereat.

b Matt. 17.

5.

c 1. Reg. 3.

10.

pereat. Ideoque inquietudinem quamcunque hic
 mihi occurrentem, Martyrium reputabo, & ut
 talem fortiter sustinebo: præbens in hoc modico
 experimentum multorum, quæ in aliis orationi-
 bus obtuli, sustinendi & tolerandi amore tui. de-
 beo itaque deliberato animo eum tanquam Ma-
 gistrum in silentio; tanquam Dominum genibus
 flexis; & tanquam D E V M iunctis & eleuatis
 manibus audire: & immobilis permanere: ne
 vllum verbum mihi prætereat; & ut appareat,
 quanti anima mea eius doctrinam faciat, & vene-
 retur.

Hoc dicebat faciebatque pius hic Pater, qui
 loquens ad Tyrones, non intelligit per *audire in
 silentio* sublimem illum orationis modum, qui
 dicitur Quietis & Vnionis, in quibus, cessantibus
 ratiocinationibus mentis, suscipiuntur diuinæ
 illustrationes: qui modus respicendū postea in i-
 psomet Patre, ut suo loco videbimus; sed ordi-
 narium quendam & necessarium modum, ad at-
 tentē & vtiliter orandum, cessantibus distractio-
 nibus ac diuagationibus garrulæ ac vagabun-
 dæ imaginationis; intellectu verò in quiete at-
 tendente, ut ratiocinetur ac meditetur mysteria
 Saluatoris, & verba, quæ in suo Euangelio est lo-
 cutus, & quæ internè loquitur ad cor aptè medi-
 tantis, quæ sunt inspirationes diuinæ.

CVM hoc meditationis exercitio tribuit
 Deus Patri Balthassari singularem æstimationem
 ac deuotionem omnium verborum cœlestis hu-
 ius Magistri: nam quamuis omnia verba, quæ
 Deus est locutus ab initio mundi, & in Scriptura
 sacra referuntur, eadem fide sint credenda, cum
 sint

sint eiusdem supremæ veritatis, quæ nec decipere potest, nec decipi: sed singulari quodam respectu & cura utebatur sacratissimis æterni verbi incarnati verbis: in quibus singulare quoddam Antidotum, & potentem efficacitatem inueniebat ad omnia, quæ animæ bonum concernebant. Propterea enim ipsemet Dominus dixit:

d Ioan. 6. 64 d *verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Et sanctus Petrus ea audiens, dixit: e 68. *e Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

Hoc autem proueniebat illi ex valde singulari deuotione, & æstimatione, quàm de cœlesti hoc Magistro habebat: cuius sacratissimam humanitatem tanquam fontem spiritualium diuitiarum perennem aspiciebat: & hoc spiritu ad orationem accedebat, vt earum particeps fieret. Hunc sensum consecutus est dum verba illa sancti Lucæ meditaretur. f *Descendenti Iesu de monte occurrit illi turba multa, descendit, inquit, è cœlo frater natus maior, Dominus diues & accedentibus hominibus ad eum, g virtus de illo exibat, & sanabat, ac dicebat omnes.* Id enim est, quod æterni patris cum iustis viris colloquia eò tendant, vt CHRISTVM Dominum magni æstiment: per quem iuxta sui consilij decreta, illos ditet: h *magnificans* (vt dixit Dauid) *salutes Regis eius:* i hoc est efficiens, vt in suis cordibus magni faciant & æstiment salutem & bonorum plenitudinem, quæ per hunc Regem mundi que Saluatorem ipsis aduenit. i *Per quem,* (vt sanctus Petrus dixit) *maxima & preciosa nobis promissa donauit,* de quo etiam verificatur illud Iob:

f Luc. 9. 37. *Descendenti Iesu de monte occurrit illi turba multa, descendit, inquit, è cœlo frater natus maior, Dominus diues & accedentibus hominibus ad eum, g virtus de illo exibat, & sanabat, ac dicebat omnes.* Id enim est, quod æterni patris cum iustis viris colloquia eò tendant, vt CHRISTVM Dominum magni æstiment: per quem iuxta sui consilij decreta, illos ditet: h *magnificans* (vt dixit Dauid) *salutes Regis eius:* i hoc est efficiens, vt in suis cordibus magni faciant & æstiment salutem & bonorum plenitudinem, quæ per hunc Regem mundi que Saluatorem ipsis aduenit. i *Per quem,* (vt sanctus Petrus dixit) *maxima & preciosa nobis promissa donauit,* de quo etiam verificatur illud Iob:
k *si com-*

QUOMODO MEDITARI INCEPERIT. 31

k si comedi buccellam meam solus, & non com- ^{•k Tob 31.17}
 edit pupillus ex ea. Ipse est filius DEI de- ^{•Ioan. 1. 12}
 ditque nobis potestatem, filios eius fieri. In eo
 sibi complacuit æternus pater, & in eodem
 nos illi complacemus. Ipse Sacerdos est, fe-
 citque nos Sacerdotes: ille in se res omnes
 continet, nosque fecit earum participes. Ita
 Pater BALTHASSAR sentiebat de CHRIS-
 TIO; & magno cum doloris sensu addebat:
 ex ignorantijs, quæ Christiano populo no-
 cent, hanc de CHRISTI Domini per-
 sona, ac diuitiarum, quas in ipso habemus,
 esse maximam: vtpotè ex qua ingentes tristitiæ,
 animæ defectiones, ac diffidentia illis proueni-
 ant, quasi non habentibus remedium: eum
 in modum, quo Iosephi fratres magna fame
 ac desolatione premebantur, eò quòd ignora-
 rent, ipsum Iosephum fratrem suum in AEGY-
 pto regnare, & in eius potestate esse copiam &
 abundantiam illius regni, ad quod in DEVS ^{mGen. 45. 5.}
 ipsum miserat pro ipsorum salute: vt ipsemet eis
 postea dixit.

HIS & similibus alijs considerationi-
 bus acquisiuit etiam magnam opinionem & æ-
 stimationem accensissimi ipsius CHRISTI
 DOMINI nostri in nos amoris, ex quo
 beneficia in nos ab eo collata processerunt.
 Hoc ipse hac comparatione, deuotisque &
 feruentibus verbis declarabat: quò solis ra-
 dij sunt vehementiores, eò splendor ex eo-
 rum reuerberatione vrit magis. Radij a-
 moris ipsius CHRISTI DOMI-
 NI rectè tendebant ad cor æterni sui
 Patris,

,, Patris, vnus amore & obedientia nos amauit:
 ,, quod si illi radij adeo erunt vehementes, eò quod
 ,, amor in patrem suum adeo esset intensus: quàm
 ,, eorum splendor vehementer aduret? nulla est
 ,, lingua aut virtus quæ hoc valeat explicare. Hæc
 ,, illa vis est, quam insinuauit Propheta, cùm de eo
 in Psal. 18. 6. dixit: *Exultauit vt gigas ad currendam viam,*
à summo cælo egressio eius: & occursum eius vsq; ad
summum eius: nec est, qui se abscondat à calore eius.
 ,, O amor diuine, qui à Deo exijsti, ac descendisti ad
 ,, hominem; & iterum ad Deum redijsti: non enim
 ,, hominem propter ipsum dilexisti; sed propter
 ,, Deum: adeoque illum dilexisti, vt, qui amorem
 ,, hunc benè consideret, nō possit à iucunda & ami-
 ,, ca violentia, quam infert cordi, se defendere.
 ,, Quis illum intuebitur, & in primo suo in mun-
 ,, dum ingressu tenerum, ac præ frigore sui causa
 ,, tremementem agnoscet, qui tali ipsius amore non in-
 ,, flāmetur? quis eum in toto vitæ suæ decursu abie-
 ,, ctum, & honoris sui causa adeo malè à suis habi-
 ,, tum consideret, qui eum non maximi faciat? quis
 ,, eum in extremo vitæ constitutum, permittentem
 ,, in se à suis creaturis manui iniici, defœdari, li-
 ,, gno crucis configi, & in altum proprio sanguine
 ,, tinctum suæ salutis causa eleuari, qui non eum in-
 ,, de extractum secum exportet? si beneficia colla-
 ,, tā, celerentur catenæ, bonaque opera impensa, pru-
 ,, næ, & torres accensi: animaque mea tot ab isto
 ,, Domino accepit: quomodo non tota accendatur;
 ,, & eius amore inflammetur? quod si amor vehe-
 ,, mentius impellit ad redamandum, quàm ipsa be-
 ,, neficia: (nam qui beneficium alicui facit, dat ei
 ,, partem aliquam eius, quod habet; at qui illum
 amat;

amat, seipsum illi tradit cum omnibus quæ habet, nihil sibi retinendo) quomodo anima mea Deum non diligis? quomodo non eo saturaris, tibi que ille satis est, qui Angelis coelestibus est satis? si misero cæcoque mundi amore frigida aliàs corda in aliorum amorem accenduntur, cum vident, se ab aliorum amore præueniri: & amantes ipsi accenduntur, & quodammodo vruntur, cum se mutuo vident: quæ tua est durities anima mea, vt, cum hunc Dominum amando non præuenieris, saltem non reddas amorem ei, quem vides tot amoris sui erga te indicia dedisse? ei qui cor suum alteri obstrictum non habet, hæc dicta sufficient. His rationibus inflammabat P. Balthassar cor suum amore sui Redemptoris, qui prius ipsum dilexerat: dabatque operam, ne cor suum alicui creaturæ alligaret: vt diuinus eius amor feruentius in ipso arderet. Ob eandem causam studebat, profundius adhuc penetrare, vt reliquos titulos cognosceret, ob quos Christus Dominus noster dignus est, qui ametur, & æstimetur. Et ita dicebat illi; O Domine, quantum te diligunt, qui te nouerunt! Pater tuus te diligit; Spiritus sanctus te diligit; Mater tua, Angeli tui, filij, & amici omnes amore tui exardescunt, flagrant & tenerescunt; omnes creaturæ tuæ profundam tibi exhibent reuerentiam: & ego solus te non diligam? ego solus ita ero in amore tuo frigidus, & in tua præsentia inurbanus?

§. II.

EX hac æstimatione, & amore erga Christum Dominum nostrum oriebatur, vt singulari quadam animi præparatione sese disponeret
 ad præ-

ad præcipua illa festa, in quibus sacræ eius humanitatis mysteria celebrantur: diutius inherens orationi, ac meditationi circa eadem: in quibus singulares accipiebat visitationes: ut apparet ex illis motibus, internisquæ animi sensis, quæ in suo libello ipse refert, se in illis diebus habuisse. Quorum duo hic proponam, in quibus apparebit, quam ipse diligentiam faceret, & quas consolationes ab ipso Domino reciperet. In nocte Natiuitatis ad eum erat immerfus præsentia Saluatoris, quem adorarunt Pastores, ut cum, sumpta Collatione, conferret se ad communem cum alijs socijs recreationem: cogitavi, inquit, me ire ad gregem, cuius præcipuus Pastor est CHRISTVS: & occurrit menti meæ, quod cum ipse esset bonus Pastor, non dereliquisset gregem solum; sed adesset illi: cum qua cogitatione valdè consolatus ad recreationem accessi, vbi illum eram inuenturus. Deinde feruentia desideria sua insinuat, & resignationem, qua se præparabat ad amplectendum & carendum solatio & consolatione, quæ sese insinuare incipiebat, dicens: Si illa nocte mihi euenisset iuxta votum meum, sicut hæc fuisset magna consolatio, & iucunditas: ita contrarium fuisset ingens desolatio: sed ad eum finem, cuius causa alterutrum Deus mittit, eum est efficacius, quod est purius. Et sic fui valdè consolatus.

SIMILE aliud sensum habuit in die Epiphaniæ: in quo, ait, cum optarem valde pios habere animi motus de ipso festo, hoc quasi verbum

bum audiui: quid si DEVS nolit, te eos senti-^{ce}
 re? respondi, libentissimè ignorare volo,^{ce}
 quod DEVS non vult mihi declarare. Quod^{ce}
 si DEO placere cupias: nulla te afficit iniu-^{ce}
 ria: cum hac ratione magis illi placeas. Et^{ce}
 sic mansi consolatus, atque si plenè mihi fuis-
 set satisfactum. Sed non reliquit eum Deus a-
 ridum, neque deuotione, quam cum tanta re-
 signatione cupiebat, eum defraudauit. Nam
 statim pia hac consideratione valde illum est
 consolatus, perpendentem Magorum lætiti-
 am, ex aspectu Stellæ: si enim in hoc exi-
 lio, & mœroris ac miseræ loco lux, quam
 DEVS communicat; ita implet, ac satiat,
 vt Reges illi Magi statim atque Stellam viderunt,
 gauisi sunt a *gaudio magno valde*: quid is fa-^{a Matth. 2. 10}
 ciet, cui DEVS per hanc lucem sese com-
 municat? Sine dubio ipse DEVS se tunc il-
 li fruendum communicauit, vt ex alijs dul-
 cibus ac teneris motibus, ac sensis ibi addi-
 tis apparet, quæ sexto capite infra indicabi-
 mus.

INTER omnia tamen Saluatoris mysteria
 singulari afficiebatur deuotione ad eius sanctif-
 simam passionem, & mortem in cruce, quam
 valde suæ memoriæ fixam habebat, valdeque
 recreabatur de eadem meditari. Quare rogatus
 eo tempore de modo, quem in orando tenebat,
 respondit: sibi statim in ipso ingressu offerri san-
 ctissimos Christi crucifixi pedes, quos ipse pri-
 mùm adorabat: & ad eos constitutum, se me-
 ditari altissimam omnium virtutum lectionem,
 quam

quam ex crucis cathedra supremus ille Magister docuit: ex quo valde accendebatur ad se mortificandum, crucique affigendum; ad amandos adiuuandosque proximos; pro quorum amore tantus Magister, tot labores sustinuit. Adeoque ex hoc proficiebat, ut omnes Incipientes tradere se orationi, hortaretur ad meditandam **CHRISTI** Passionem, tanquam spiritualis eorum profectus fontem: & in ordinarijs suis exhortationibus hoc frequenter repetebat: Ne existimemus, nos aliquid fecisse, donec eò perueniamus, ut semper **CHRISTVM** ipsum crucifixum in corde nostro gestemus. Ipsum verò, ita **CHRISTVM** gestasse, licet colligere ex corporali ipsius præsentiâ, quam scripsit sibi communicatam in relatione, quam postea reddemus: licet existimem, præcipuè illum hoc intellexisse de viua **CHRISTI** crucifixi imagine, quam eiusdem Domini amor cordi nostro imprimit, transformans nos in figuram, quam pro nobis in cruce accepit: ut ex omnibus nostris visceribus cupiamus viuere cruci cum ipso, & pro ipso affixos, dicentes cum Apostolo:

b Gal. 2. 19. b CHRISTO confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus. Proficiebat præterea ex eo, quòd haberet semper in cubiculo Crucifixum, in quem frequenter aspiciebat, & hac ratione insignia accipiebat beneficia, & multarum veritatum lumen, quas ijs aperiebat, cum quibus agebat: & interdù in Ecstasim rapiebatur, ingrediens mente per sacratissima **CHRISTI** vulnera; ut in abyssum infinitæ ipsius charitatis ac diuinitatis sese immergeret. Denique singulari quo-

quodam sensu, ac feruore in ipso CHRISTO crucifixo meditabatur, tres illos comites ipsius indiuiduos, qui illum ab ipso præsepio per totum eius vitæ tempus, & adhuc in ipsa passione ac morte exactius sunt comitati, Paupertatem, scilicet, Contemptum, & Dolorem; perpendendo, minutimque ruminando, cuiusque illorum proprietates & circumstantias. Cernebat illū in cruce adeo pauperem, vt esset omnino nudus, nec a-

*In capit. 48.
hæc fusius.*

quæ guttam haberet, qua sitim suam mitigaret, adeo contemptum, vt improbissimi alicuius instar medius duorum latronum poneretur: & ab omnibus blasphemaretur: tot denique doloribus affectum, vt ab ipsis pedibus vsque ad verticem capitis nulla esset corporis pars, quæ horrendis doloribus nõ cruciaretur. Qua cõsideratione non solum emolliebatur ipse, sed se ipsum excitabat, ad quærendam & amplectendam paupertatem; ad amandum contemptum; ac dolores amplectendos: quemadmodum toto vitæ suæ decursu ostendit, magnificiens semper spiritualem crucem: ex his rebus confectam, vtpote in qua consistat perfecta Christi crucifixi imitatio; &

*c 2. Cor. 4.
10.
d Gal. 6. 18.*

(quod Apost. ait) *mortificationem IESU in corpore circumferre*, eiusq; d *stigmata*: vt in proximo cap. apparebit.

